DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

TYPHO:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

CAROLUS MINOR,

VIRGINIENSIS;

SOCIET. PHYS. AMERIC. SOC. EXTRAORD.

NECNON

SOCIET. REG. PHYS. SOC. HON.

Λητοῦς καὶ Διὸς υἱός· ὁ γὰρ βασιλῆι χολωθεὶς
Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακήν· ὀλέκοντο δὲ λαοί.

HOM. *Il.* lib. I. lin. 9—10.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOCIIS.

M DCC XCIII.

FRATRI

JOANNI MINOR,

FREDERICOBURGENO

VIRGINIENSI,

HOC

OPUSCULUM

SACRUM VULT

CAROLUS MINOR.

ERRATA.

Pag. 27. lin. 9. *pro* ſæpiſſimâ *lege* ſæpiſſime
——43.——10.——exhala- —— exha-
—— 47. —— 9.——porrigatur——porrigantur

Digitized by the Internet Archive
in 2020 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b31969069

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

TYPHO.

CONSOCIATIONE hominum et communitate nulla, omnium animantium naturâ maximè inops eſt homo. Cæterarum enim facultates ad cujuſque cupiditates et impetus Alma rerum Parens accommodat. Largitur leonibus velocitatem qua prædam capiant, et vim qua ſuperent captam. Cervis ſine labore, ſine cura, ſine cultu, ſponte frondeſcit omne nemus, pratum omne vireſcit.

 Homines

Homines ſoli cupiditatibus irritis anguntur; ſoli ea appetunt quæ propriis viribus parare nequeunt. Tempeſtatum viciſſitudinum naturâ impatientes, nudi quaſi a ſuppliciis vitam auſpicantes, nuda humo die natali abjiciuntur. Neque taurum vi, neque leporem celeripedem pernicitate, æquare poſſunt. Invita ipſa profectò tellus, niſi ſolicitata multoque ſudore coacta, iis victum negat. Sed, inſtrumentis Cerealibus nondum fabricatis, quomodo eam ſolicitare et cogere poſſunt? Deſunt quidem ferramenta, quibus domunculas ubi a frigore et feris noctu ſecuri dormitent; quorumque ope ſibi parent arma, quibus hoſtes feriant vel arceant. Domi res anguſtæ ſunt; Venus parum læta; Bacchus injucundus: foris periculum a feris, periculum ab aquis, periculum a tempeſtate, ab ipſis quidem hominibus periculum. Cerere et Libero parum juvantibus, frigente Venere, et malo inſuper Jove interdum urgente,

labore

labore duro vitam raris et diſſipatis hominibus tolerandum eſt.

Sic miſeri, ſic omnium inopes, homines initio ſocietatem inire coacti ſunt, ut conſociatis viribus ſemet a periculis tuerentur, a quibus ſinguli propriis viribus ſeſe defendere nequiêrunt; utque conjuncta omnium induſtria ſingulis res neceſſariæ ad vitam, vix alicunde parandæ, ſuppeditarentur.

Conſociatione inter ſe et communitate, unde nihil, fortaſſe, præter ſecuritatem, victum, et ferarum pelles quibus tegant corpora a frigore, initio expectant, homines cæteras animantes pleraſque, niſi quibus naturâ ineſt immanitas quædam indomabilis, in ditionem redigunt, atque usûs animique cauſa manſuefaciunt. Hominibus terrarum dominis arva arant boves, terræque fruges præbent; vellera, quibus adverſus frigus corpora muniant, lani-

geræ

geræ oves; carnes, utrique. Equi ſonipedes uſu aſſueſcuntur

"——————*Animos atque arma videre*
"*Bellantum, lituoſque pati, tractuque gementem*
"*Ferre rotam, et ſtabulo frænos audire ſonantes.*
"*Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri*
"*Laudibus, et plauſæ ſonitum cervicis amare.*"

VIRG. *Georgic.* lib. iii. lin. 182—6.

Quinetiam terræ viſcera rimantur homines ſocietate conjuncti; eaque, quæ in profundo oceano lateant, explorant: abditas naturæ res eruunt; nubem diſrumpunt quam operibus obducit, hæcque in apertum proferunt. Elementa, porrò, et errantes ſtellæ quidem ipſæ humanis uſibus inſerviunt. Ventis impellentibus, ſideribuſque curſum dirigentibus, homines omnia perpeti audaces, atque terras incognitas novaſque voluptates petentes, maria incognita

cognita et invia navibus tranſiliunt. Quàm appoſitè dixit HORATIUS?

"*Nequicquam* DEUS *abſcidit*
"*Prudens Oceano diſſociabili*
"*Terras*:"———

HORAT. lib. I. od. iii.

Commoda, quæ ex hominum inter ſe conjunctione communitateque enaſcuntur, ornatè cecinit LUCRETIUS:

"*Navigia, atque agri culturas, mœnia, leges,*
"*Arma, vias, veſteis, et cætera de genere horum,*
"*Præmia, delicias quoque vitæ funditùs omneis,*
"*Carmina, picturas, et dædala ſigna polire,*
"*Uſus, et impigræ ſimul experientia mentis*
"*Paulatim docuit pedetentim progredientes.*"

LUCRET. lib. V. ſub fin.

Non modò autem hominibus bona plurima peperit ſocietas; ſed magnam quoque cohortem morborum peſſimorum, qui breviorem hominum

hominum vitam reddunt, vel ſaltem perquam obſtant quò minùs expetendis voluptatibus fruantur. Diros hujuſmodi morbos hiſce verſibus enumeravit MILTON:

"—————————All maladies;
"*Of ghaſtly ſpaſm, or racking torture, qualms*
"*Of heart-ſick agony, all feverous kinds,*
"*Convulſions, epilepſies, fierce catarrhs,*
"*Inteſtine ſtone and ulcer, colic pangs,*
"*Demoniac phrenzy, moaping melancholy,*
"*And moon-ſtruck madneſs, pining atrophy,*
"*Maraſmus, and wide-waſting peſtilence,*
"*Dropſies, and aſthmas, and joint racking rheums.*

MILT. *Parad. Loſt.* book xi.

Eadem verò neceſſitas, quæ ſocietatem inire homines coegit, remedia comperta eſt, quibus malis quæ hinc originem ducunt obſiſti poſſit. Medicina enim magis in dies magiſque excolitur et ampliatur; neque ullus profectò eſt morbus cujus curatio in melius

magis

magis mutata eſt, quàm is, de quo hac in diſputatione diſſeritur. Nondum enim præterfluxerunt centum anni, ex quo tempore regiones et urbes vaſtabat. Verbis Lucretii quàm aptè dici poteſt :

" *Quippe etenim nullo ceſſabant tempore apiſci,*
" *Ex aliis alios avidi contagia morbi :*
* * * * * * *
" *Exanimis pueris ſuper exanimata parentum*
" *Corpora nonnunquam poſſes, retroque videre*
" *Matribus et patribus natos ſuper edere vitam.*"

Lucret. lib. vi. ſub fin.

Quibus in regionibus exculta eſt ſcientia, ex iis utique gravis hic morbus deceſſit ; et eò migravit, ubi rudes et inculti homines non modò in ignorantia cauſarum verſantur quibus efficiantur morbi, ſed rationis quoque qua hi optimè curentur : vel, ſiquando illis regionibus appareat, multo minùs lethifer eſt, et rariſſimè extra valetudinaria vel carceres graſſatur.

MORBI

MORBI DEFINITIO.

" Morbus contagioſus; calor parum auc-
" tus; pulſus parvus, debilis, plerumque fre-
" quens; urina parum mutata; ſenſorii fun-
" ctiones plurimùm turbatæ; vires multùm
" imminutæ*."

HISTORIA.

Quamdiu pòſt incipiat morbus, quàm corpus cauſis excitantibus objectum ſit, prorſus incertum eſt. Si vis contagionis, qua concitatur febris, quibuſlibet cauſis admodum aucta fuerit, ſigna, hac corpori admota, extemplò ſeſe manifeſtant.

Plerumque

* Vid. Cullen. Synopſ. Noſolog. Method. tom. II. gen. 5.

Plerumque verò, diebus paucioribus pluribuſve labentibus, homo ægreſcens de frigore et calore alternè corpus pervadentibus conqueritur. Haud multò pòſt, artubus tremiſcit; torpeſcit lacertis; laſſeſcit omnibus membris, quaſi niſu quolibet violento exhauſtus; deficiente appetitu, cibum averſatur, nauſeat, et materiam bile admixtam vomitione rejicit: caput gravedine, vertigine, et dolore, præſertim circa occiput, vexatur: arteriæ ſolito incitatiùs micant.

Die veſperaſcente, hæc ſigna ingraveſcunt: nox inquieta eſt; et ſomnus, ſiquando ægro obrepſerit, plerumque brevì interpellatur, neque vires reficit: marcet quoque animus.

Quinto propè die ſextove, interdum aliquanto citiùs ſeriùſve, hæc ſigna omnia ingraveſcunt: ægritudo nauſeaque increſcunt uſque ad vomitum: caput dolore, gravedine, ver-

tigine gravioribus, necnon delirio, affligitur: et perquam dolent dorſum, lumbi, et majores artus.

Invadente morbo, arteriarum motus aliquantùm incitatur: interdum earum ictus ſunt parvi et duri; interdum ex tardis et æqualibus, ſubitò inæquabiles fiunt et tremuli: provectiore verò morbo, interdum intermittunt; et inſtantem mortem prænunciantes, vix, aut ne vix quidem, ab explorante medico percipi poſſunt: arteriæ, *carotides* nominatæ, ſæpe validè et incitatiùs micant; dum eæ carpi remiſsè admodum et tardè moventur, delirium in propinquo eſſe indicantes.

Pulmonibus quoque, dum toto uſque adeo turbatur corpore, ſua ſunt mala. Anima magno cum labore accipitur et redditur: ſuſpiria ab imo pectore crebrò ducuntur: æger anxietate, et alicujus præcordia velut gravantis

tis ſenſu, afficitur: appropinquante morte, peſſimè fœtet anima: et cruſta nigricans dentium radices operit.

Initio, lingua plerumque mollis et humida eſt, et muco albo oblita: progrediente verò morbo, areſcit; et lineis fuſcis, ſulcis interjacentibus, variatur. Mollis verò interdum et humida manet lingua, per totum curſum morbi; margine luteola vel ſubviridis. Febre maligna urgente, ſi curam remittat ægro famulans, lingua interareſcit, nigricat, et inciſuris plurimis exaſperatur.

Sitis ſæpe ferè nulla eſt; interdum verò inſatiabilis. Modò æger potum omnigenum, utpote ſapore ingratiſſimum et nauſeoſum, averſatur et reſpuit.

Fauces ſæpe *aphthis* obſidentur; quæ interdum per totum canalim alimentarium ſerpentes

tes, dyſenteriam cruentam ejuſque conſequentia efficiunt.

Urina multùm variat. Plerumque pallida eſt: in quibuſdam verò valde rubeſcit, aut cereviſiam tenuem et vapidam refert. Verùm plerumque tamen nihil ſedimenti deponit; ſed nubeculas quaſi furfuroſas in ea pendulas exhibet. Quod ſi in lubrico verſetur æger, urina etiam fuſca fit, nigreſcit, graviter olet, et quidem cruenta eſt. Sub finem, ſi criſis fauſta evenerit, turbida eſt; ſed etiamnum nihil deponit.

Si humori frigorive non objectus fuerit homo, alvus plerumque compreſſa eſt; ſin ex frigore et humore frebriverit, plerumque ſoluta. Utrumcunque initio morbi ſupervenerit, idem, uſque ad finem, plerumque producitur.

Febre

Febre primùm accedente, calor modicus eſt; et etiam aliquantò pòſt, alicui contrectanti cutis parum calida videtur: ſed, digitis aliquandiu arteriæ admotis, ardor quidem ingratus percipitur; qui, digitis etiam reductis, aliquantiſper manet. Febre diu protracta, pedes, niſi quò minùs id accidat, provideant medici aut aſtantes amici, frigeſcunt.

Quamvis inſudat interdum æger, cutis, potiſſimùm initio, plerumque areſcit. Sudor valdè fœtet, ægroque ipſi admodum ingratus eſt.

Fuerunt, qui, per totum morbum, delirio vacârunt; omnes verò ſtupore et mentis confuſione plùs minùſve afficiuntur; et, inſtante morte, plerique ſuæ mentis non ſunt. Rarò a febrientibus dormitur; et, etiamſi aſtantibus ſomnum capere videantur, tamen ipſi ſe hujus ſibi eſſe conſcios pernegant. Æger ſæpe men-

te adeo turbatur, ut, præcipuè noctu, prorſus deliret. Vitato verò regimine calido, hoc delirium nunquam ferox evadit; quippe cùm in hac febre, præ cæteris, ægri mœſti animis et ſoliciti obſerventur.

Morbo primùm invadente, auditus aliquando valde acutus eſt. Modò verò ſurdaſter fit febricitans: modò, progrediente morbo, auditus magnopere hebetatur.

His ſignis ſæpe accedunt *petechiæ.* Hæ ſunt maculæ rubore interdum vivido, interdum pallidiore, interdum livido; nunquam autem ex cute eminent. Modò, quarto circiter die quintove, ſeſe oſtendunt; modò, non ante quartumdecimum. His evaneſcentibus, dejectiones nigræ, fœtidæ, ſæpe cruentæ, ſtato autem tempore nullo, ſuperveniunt. Sæpe, undecimo circiter die quartove et decimo, ſudore profuſo manante, *petechiæ* prorſus evaneſcunt;

ſcunt ; in quarum locum puſtulæ multæ albidæ *miliariæ*, ſignis autem plerumque nihildum levatis, ſubeunt. Morte appropinquante, conſpicuæ ſunt, hìc illic, lineæ liveſcentes, *vibices* dictæ, quippe cùm eas partium in quas verberibus animadverſum eſt, multùm referant.

Sub finem morbi facies cadaveroſa fit. Viſus modò nimis acris ; modò hebetior, oculis lucis quidem vividiſſimæ non ſentientibus. Æger in veſte floccos legit, fimbriaſve diducit ; vel in adjuncto pariete, ſi qua minuta eminet, carpit ; vel nubeculas quaſi obvias natantes videre videtur : labant vires et animi et corporis : oculi lumen refugiunt et illachrymant : urina et fæces, ægro inſcio, elabuntur : ungues pallent et livent : arteriæ tam crebrò, tam imbecilliter, tamque trepidè micant ; ut earum ictus vix, aut ne vix quidem, ab explorante medico numerari poſſint : manus intremiſcunt : *tendines* ſubſiliunt : membra primùm extrema,

deinde

deinde cæterum corpus, frigeſcunt: tandem, medicina nihil valente, precibus amicorum aſtantium plorantiumque vanis, indomabili inhiante morte, anima extrema efflatur.

Hic morbus, qualiſcunque futurus ſit eventus, rarò, ſi unquam, finitur ante diem quintum vel ſeptimum; et profectò ſæpius ad diem quartumdecimum, vel etiam vigeſimum producitur. Bubonibus interdum finitur. Revaleſcens ex hoc morbo, plerumque, in multos poſtea menſes, fatuus eſt.

DIAGNOSIS.

Olim medici multum temporis inutiliter triverunt aggrediendo explicare, quibus ſignis *typhus ſynocho* dignoſcatur. Neque mirum eſt, eorum labores parum profeciſſe; cùm hanc nihil aliud eſſe, niſi ejus varietatem,

quam

quam efficiat non propria et ſpecialis cauſa, ſed ſpecialis febrientis conſtitutio, peritiſſimos inter medicos conveniat.

Multùm quoque diſputatum eſt, utrùm *typhus* ſit, necne, idem cum puerperarum febre morbus. Diſputatio utique hæc infructuoſa et inutilis : minimè enim explicat, quare in hac curanda novaretur aliquid ; et, etiamſi, cur tale quid faciendum, explicaret, tamen ſignum habemus haud fallax, quo hi morbi, unus ab altero, dilucidè internoſcantur : uter enim adſit, animo incertus profectò eſſe nequit is, qui puerperarum febrem eas tantummodo afficere mulieres, quæ recenter pepererint, in memoria tenet.

Typhum verò et *Catarrhum* peſtiferum accuratè internoſcere, interdum, potiſſimùm ſi hic gravis eſt, et, út in AMERICA, anno milleſimo ſeptingenteſimo octogeſimo nono et ſequente,

longè latèque vulgò graſſatur, arduum imprimis eſt et difficile.

Eo tempore hic morbus a Bostonia, ad Carolopolin uſque, graſſatus eſt ; et adeo profectò gravis erat, ut neque ætati neque ſexui parceret. Signis, porrò, *typhum* adeo ſimulavit, ut, utro duorum ægri implicarentur, periſſimi quidem medici etiamque exercitatiſſimi dijudicare nequirent.

Cumminus, juvenis medicus mihi conjunctiſſimus, pro ætate ſagax apprimè, et accuratus naturæ rerum obſervator, certiorem me fecit, duo omnino eſſe ſigna, quibus hi morbi inter ſe diſtingui poſſent. Qui *catarrho* peſtifero implicati ſunt, iis palpebræ æquè ferè, ac alicui interdum rigent qui *catarrho* a frigore * laborat, præter ſolitum rigebant : atque paulò poſt initium morbi, admodum concidebant arteriæ,

* Vid. Cullen's *Firſt Lines.*

teriæ, niſi, quò minus id accideret, ſanguinem primo quoque tempore mittendo præcautum eſſet. Sanguine autem opportunè miſſo, arteriæ, id quod profectò mirum eſt, multò liberiùs et pleniùs micabant. Contra ea, arteriæ rarò concidunt initio *typhi* ; niſi ſiquando ſanguis temerè et inconſultò eliciatur, cùm earum percuſſus illico fit imbecillus admodum et inæqualis.

CAUSÆ QUÆ CORPUS HUIC FEBRI OPPORTUNUM REDDUNT.

Corporibus hominum cæterarumque animantium ineſt vis quædam, a qua, dum vivitur et valetur, viribùs nocivis, aliqua ex parte, obſtatur. Vis hæc inenarrabilis ex incolumitate corporis, et convenientia conſenſuque ejus partium inter ſe, pendere videtur ; et, progrediente vita, cauſis innumeris variatur. Rem

ita

ita ſe habere, inde concludi poteſt, quòd alii homines causâ eâdem variè afficiuntur, et idem homo aliis temporibus. Hæc diſſimilitudo aliorum hominum inter ſe, et ejuſdem ſecum, major minorve eſt; prout corpus naturali imbecillitate, vel cauſis quibuſlibet debilitantibus admotis, ſuis muneribus fungendò plùs minùſve impar ſit. Quo longiùs qualicunque cauſa ab incolumitate diſtat, eo cauſis nocivis affici aptius exiſtit.

Quæcunque igitur corpus debilitant, eæ idem *typho* opportunius reddunt. De harum præcipuis nunc quàm breviſſimè diſſerendum eſt; et primùm de

Calore.—Calor, inter nimiùm et parum, ad vitam et animantium et terrâ naſcentium alendam et ſuſtinendam, prorſus neceſſarius eſt. Grata vice veris redeunte, omnia, quæ munere terræ aluntur, reviviſcunt, refocillantur, pubeſcunt,

beſcunt, et vigent; appropinquante hieme, frigore conſtringuntur, labant, areſcunt, et haud rarò moriuntur. Calor verò, ſi ſit nimius, inſalubris eſt, imo interdum vitam prorſus delet. Nonne vis, qua pollet corpus debilitandi, vi, quæ ei ineſt, ſolidas partes reſolvendi, et earum inter ſe cohæſionem minuendi, attribuenda eſt?

Frigus diu corpori admotum.—Si calor, certos intra fines, ad vitam ſit neceſſarius, animo facilè concipere poſſumus quo modo frigus, quippe quod nihil ſit aliud niſi caloris *abſtractio*, corpori noceat. Brevì profectò mortem afferret, ni corpus, utiliſſimo Naturæ artificio, mirando quidem ſed nondum dilucidè explicato, calorem generandi, ſeu potius evolvendi, facultate polleret. Sed, cùm quo citiùs ſpoliatur calor, eo vehementiùs ad calorem evolvendum corpus renitatur, hujus vires frigore vehemente vel diu admoto exhauriuntur *.

Inedia

* Vid. Gardiner. *On the Animal Economy.*

Inedia.--Frictione et exhalatione, non fluidæ ſolùm partes corporis, ſed etiam ſolidæ continuò adeo conſumuntur, ut, niſi, contra hanc partium jacturam, alma Natura providiſſet, homo citò periret. Ne hoc fiat, appetitu ſolicitante, cibum et potum appetimus, aſſumimus, concoquimus; concoctoſque per totum corpus digerimus, ut, quà opus eſt, apponantur. Sed ſi deficiat cibus, vel non ſatis nutriat, tunc, ratione accepti atque impenſi inter ſe parum conveniente, corpus neceſſariò debilitatur.

Inquies.—Ab animantibus autem, in primis hominibus, non cibo ſolo et potu vivitur, et valetur. Quò enim bene ſeſe habeant homines, opus profectò eſt, non ſolùm corpus exhauſtum cibo et potu reficere; ſed etiam, temporibus interpoſitis, ab omni actione, niſi qualis ad vitam neceſſaria ſit, prorſus ceſſare. In hunc finem Natura ſtatuit, ut, in ſomno, morti quidem

quidem ſimillimo, vitam, aliqua ex parte, tranſiremus. Somno non capto, vel ſæpe interpellato, quantum, ex labore continuato, corpori immineat periculum, exponere non opus eſt.

Vita Sedentaria.—Etiamſi exercitatione violenta omnigena corpus inſigniter debilitetur; tamen perpetua quies, haud ſecus ac exercitium nimium, corpori, mirum in modum, nocet. Aliquid enimvero exercitationis ad incolumitatem et mentis et corporis neceſſarium eſt: atque, hoc neglecto, corpus enervatur, et debile fit.

Ebrioſitas.—Humani corporis lex eſt immutabilis, unicuique incitationi ſupervenire laxitatem pro ratâ magnam. Incitatione nimia adeo labaſcunt vires, ut non priùs redintegrentur, quàm aliquid temporis præterfluxerit.

Eodem

Eodem modo explicari poteſt, quomodo res omnes, quæ admodum incitant, corpus debilitent. Quæ potiſſimùm hoc faciunt, eæ ſunt ingurgitatio; concubitus frequens; lucubratio nimia; motus quidam animi, ira, nimirum, et gaudium.

Perturbationes quæ animum contriſtant.—Hujus generis ſunt timor, metus, triſtitia, mœror, deſperatio. Has ægritudines corpus debilitare, ſatis conſtat; quippe quibus motus ſanguinis languidus efficiatur, facies palleſcat, genua tremiſcant, et interdum fæces et urina, homine invito, defluant.

Exinanitiones nimiæ.—Plenitudo quædam vaſorum, ad incolumitatem et vigorem corporis, prorſus neceſſaria eſt; et, quandocunque fluidæ partes quantitate multùm minuuntur, et, eam ob rem, collabuntur vaſa per quæ moventur, magna profectò debilitas ſupervenit.

Hujuſmodi

Hujuſmodi debilitas effici poteſt vel jactura ſanguinis rubri, vel nimia exinanitione inteſtinorum.

Morbi prægreſſi.—Si antegreſſis morbis aliquis magnopere debilitatus fuerit, nemini in dubio eſſe poteſt, quin contagioni multò opportunior exiſtat.

CAUSÆ, QUÆ, IN HOMINIBUS JAM OPPORTUNIS FACTIS, MORBUM CONCITANT.

Halitus ex humano corpore, vel ex putreſcentibus, ſive iis quæ ex animantibus excreta ſunt ſive cadaveribus, magna quantitate collectus, mutationem ſpecialem ſubire videtur; adeo ut, ſi corpori humano, potiſſimùm ei opportuno, admoveatur, morbum, de quo hìc diſ-

putatur, concitet. Halitus, ſive exhalatio, ita mutatus, *contagio* appellatur.

In hanc rei noſtræ partem tractando, nobis quærendum eſt,

primo, unde oriatur contagio;
ſecundo, quibus intervenientibus vulgetur;
tertio, qua via in corpus invehatur;
quarto, quo modo jam invecta corpus afficiat.

De his ſingulatim et deinceps pauca dicenda ſunt.

DE CONTAGIONIS ORIGINE.

Contagio ſæpe ex humano corpore, ſive ſano ſive morbido, oritur. Quandocunque enim homines magno numero loco quolibet tecto congregantur, exhalatio ex eorum corporibus cumulata miram ſæpe acrimonium adipiſcitur.

Hoc

Hoc imprimis accidit, cùm, idoneâ munditiæ curâ ſimul neglectâ, locus, liberum aëris perflatum non habeat. Ob has cauſas, contagio originem ſæpiſſimè ducit ex carceribus et valetudinariis: præcipuè verò ex valetudinariis caſtrenſibus et claſſiariis, atque ex carcerariis navibus; quia ibi rerum publicarum neceſſitati, potius quàm ſingulorum civium commodo, providetur. Sæpiſſimà ex iis hoc morbo laborantibus contagio vulgatur; ſed interdum ex iis, qui aliis morbis implicantur.

Putredo quoque, ea præcipuè cadaverum et excrementorum, contagione admodum fœtifera eſt. Memphi, celeberrima urbe Ægypti, canalis eſt cadaveribus et oppidanorum colluvie fœdus, quem turgidus Nilus, ripis effuſus, quotannis influit. Flumine ſemet in alveum relictum paulatim recipiente, et fervidiſſimo ſimul æſtuante ſole, humor tetram colluviem putrefacit. Graviſſimâ inde vaporatione genita Peſtis, qua nulla Erynnis triſtior Stygiis ſeſe

ſeſe undis extulit, primùm NILICOLAS inceſſit, acervatimque enecat; deinde, agris et urbibus quidem negotioſis ferè ſolitudine factis, atris et mortiferis ſublata alis, urbes novas et populo frequentiores, ubi ſtragem edat, quærens, longè latèque arbitrio flantis auræ circumvolat.

In ÆTHIOPIA quoque, ſimilem ob cauſam, peſtis graſſatur. Locuſtæ enim, uno anni tempore, gregatim et magno pennarum ſtridore volantes, ſolem obumbrant; "Multa "contactu adurentes: omnia verò morſu ero- "dentes, et fores quoque tectorum*:" alio autem, moriuntur; et exhalatione ex putrefactis cadaveribus, et peſte inde naſcente haud minus exitium hominibus afferunt emortuæ, quàm vivæ frugibus†.

GREGORIUS,

* Vid. C. PLIN. SECUND. *Natur. Hiſt.* lib. XI. cap. xxix.

† Vdi. MEAD. *on the Plague.*

Gregorius, de medicina practica differens, certiores audientes facit, contagionem perquam malignam Corcagiæ generatam eſſe ex putridis recrementis bovum; qui ibi quotannis, ad quadraginta interdum numero millia, trucidantur, quò caro bubula mercatoribus ſuppeditetur, qui eò navibus commeent.

Interdum quoque contagio, unde *typhus* concitatur, initium capit ex frequentibus rerum promercalium officinis, quibus cum adjunctis foricis pervius uſus eſt *.

DE INTERVENIENTIBUS, PER QUÆ VULGETUR.

Contagio ſemel generata vulgari contactu, vento, veſtibus, et colligatarum mercium ſarcinis poteſt. Interdum quoque ſupellectili, domuum parietibus, et navium tignis quæ penetraverit,

* Vid. Campbell. *on Typhus*, p. 23.

traverit, diu inhæret; atque, occaſione oblata, identidem familiam, et ſocios navales *typho* afficit.

Contactus.—Quo modo hujus interventu vulgetur contagio, de eo aliquid dicere non opus eſt; quippe cùm omnibus jam ſatis innotuerit.

Ventus.—Qua diſtantia, quieto aëre ſolo intermedio, aliquem inceſſat contagio, ea profectò brevis eſt. Dilutior quaſi, et minùs efficax, evadere videtur. Aura verò vel vento in diſtantiam haud modicam, viribus nondum adeo minutis, quin obviis hominibus malo et quidem exitio ſit, vulgari poteſt. Rem ita eſſe, ex eo, quod LONDINII foro juridico* accidit, ubi, utrùm, cauſa cognita, malefici capite plecterentur, necne, ſolenniter coram judicibus, penes quos poteſtas erat, agitabatur, nimis apparet. Aër quoque humidulus† et impurus,

* ANGLICE, *Old Bailey* dicto.

† Vid. LIND. *on Fevers.*

rus *, ad contagionem vulgandam, multùm confert.

Veſtes et merces in faſciculos colligatæ,—ſunt alia vehicula, per quæ contagio adhuc certiùs diffundi poteſt. In iis enim latens, ſæpe in alias atque alias urbes regioneſque invehitur; et haud raró, trans mare mercatoriis navibus trajecta, longinquis terris incubat, et inopinantes incolas ingruens acervatim enecat. Hujuſmodi exempla enarrant omnes auctores, qui de contagione fuſiùs diſſeruerunt.

Dum his ſubſtantiis, ſeu fomitibus ut apud medicos apellantur, latet, contagio, id quod in primis mirandum eſt, inſignem acrimoniam adipiſcitur; et iis, quos afficit, mortem citiorem affert. Bajuli ſeu lecticarii, quorum erat ægros ad valetudinarium HASLARENSE apportare, et inde immunda veſtimenta, quò purgarentur,

* Vid. HOWARD. *on Priſons*, p. 13.

rentur, devehere, multò ſæpiùs affecti ſunt et graviore quoque febre, quàm aniculæ, quarum erat ægrotis famulari; niſi ſiquando vituperandâ incuriâ, hæ, contra imperia, immundas veſtes, prope ſe, in cubiculis haberent *.

Contagio quoque ſæpe, ut ſuprà diximus, parietibus et ſupellectili quidem cubiculorum, ubi eâ correpti lectis affixi ſunt, inhæret; et ibi in longum tempus, viribus autem interea haud imminutis, conſervatur. Tignis quoque et conſtratis navium adeo ſemet interdum implicat, ut inde non, niſi poſt longum tempus et omnia ſummâ curâ abraſa et abluta, expelli poſſit.

DE VIIS, QUIBUS CONTAGIO IN CORPUS INVEHATUR.

Pulmonum.—Etiamſi auctores cenſuerint, contagionem in corpus pulmonum interventu invehi

* Vid. LIND. *on Fevers.*

invehi poſſe; tamen unquam ita invehi, vero abſimile mihi videtur. Licèt enim contagio cum aëre in pulmones inhaletur, tamen hinc illico redditur; et, præterea, humore in bronchia exhalato Natura providiſſe videtur, ne inde aliquid detrimenti pulmones caperent.

Ventriculi.—Signa, quæ citò pòſt ſemet oſtendunt, quàm aliquis contagioni acerrimæ objectatus eſt, ea ſunt, ut quin credamus, intermedio ventriculo, in circumfluum ſanguinem contagionem perſæpe introferri, non poſſimus. Sunt enim vel ſigna ipſius ventriculi malè ſe habentis, vel qualia ex hoc ſe malè habente enaſcantur; nauſea, nimirum, vomitus, vertigo, capitiſque dolor. Hæc opinio adhuc magis eo firmatur, quòd acrida manducata, multùm ſanè, ne contagione afficiatur aliquis, obſtant. Quare hoc faciant, ratio alia nulla reddi poteſt, quàm quòd ſalivam conti-

nenter ferè movendo, impediunt, quò minùs contagio in ventriculum devoretur.

Cutis abſorbentium.—Eadem ferè hic, quæ modò diximus, recenſenda ſunt. Ob enim mirandum conſortium, quod extremo corpori eſt cum ventriculo, ignorat nemo, res illi admotas eadem ferè in hoc ſigna efficere, quæ effeciſſent ipſi admotæ.

DE CONTAGIONIS ACTIONE.

Contagionem corpus debilitare, inter omnes ferè medicos adeo convenit, ut plura, quibus eorum opinio magis firmetur, dicere vix opus ſit. Argumenta, quibus nititur, Cullenus in apertum adeo perſpicuè et productè protulit, ut, cùm ipſi nos nulla, quæ proferamus, clariora validiorave habeamus, ejus verba citaverimus:

"It

"It is neceſſary to add here, that thoſe re-
"mote cauſes of fever, human and marſh
"effluvia, ſeem to be of a debilitating or ſeda-
"tive quality. They ariſe from a putreſcent
"matter. Their production is favoured, and
"their power encreaſed, by circumſtances
"which favour putrefaction; and they often
"prove putrefactive ferments with reſpect to
"the animal fluids. As putrid matter, there-
"fore, is always, with reſpect to animal bo-
"dies, a powerful ſedative, ſo it can hardly
"be doubted, that human and marſh effluvia
"are of the ſame quality; and it is confirm-
"ed by this, that the debility which is al-
"ways induced, ſeems to be in proportion to
"the other marks that appear of the power
"of theſe cauſes *."

PROGNOSIS.

Cullen. *Firſt Lines*, § LXXXVI.

PROGNOSIS.

Proſperne hujus morbi exitus futurus ſit, an improſper, prout adſint, necne, ſigna, quæ periculoſam debilitatem, vel fluidorum in putredinem proclivitatem indicent, augurandum eſt.

Ægrum in hujuſmodi verſari debilitate concludere fas eſt, cùm arteriæ celeriter, et quaſi ſubſultim, moveantur: cùm, corpore erecto, defectus animi ſit: cùm frigeſcant extrema membra, et lenteſcat cutis: cùm anima imbecilliter, crebrò, cum labore et frequente ſuſpirio reciprocetur: cùm, viſu turbato, æger, non ita ſolitus, res naturâ ſimplices, confuſas et duplices videat: cùm in veſtibus floccos legat, vel fimbrias diducat, vel quaſdam imagunculas quaſi oculis obvias apprehendere continuò aggrediatur: cùm oculi intus

intus quaſi recedant, vel immoti hæreant, vel languidè moveantur: cùm æger ſupinus cubet, eique genua contracta ſint: cùm deorſum ad pedes ſubinde delabatur: cùm manibus intremiſcat, neque ore linguam exerere poſſit: cùm, eo inſcio, urina atque fæces defluant, et oculi continenter illachryment: cùm, muſculis pharyngis reſolutis, aliquid ſeu cibi ſive potûs devorare nequeat: cùm, ſuæ mentis non ſit, ſed loquatur aliena: cùm, denique *comate* obruatur.

Fluida corrupta eſſe, vel, ut medicis loqui placet, in putredinem proclivia, cognoſci poteſt, ubi ventriculus omnem cibum, præcipuè autem carnes, averſatur: ubi æger ferè continuò nauſeat, et vomit, inſedabiliter ſitit, acidaque appetit: ubi, renixu cordis et arteriarum nihil aucto, ſanguis, hic illic, profluit: ubi *petechiæ*, maculæ, vibices, et ſerum ſubflavum infra cuticulam effuſum, extremum corpus decolorant:

colorant: ubi fœtet admodum anima, fœtent fæces, fœtent liventque partes exulceratæ: ubi urina eſt rubra perquam et turbida: et, denique, ubi totum corpus, cadaveris inſtar, olet.

RATIO QUORUNDUM SIGNORUM.

Pulſus arteriarum celer, imbecillus et tremulus.—Sanguis, cùm cor et arteriæ eum, extrema verſus, idonea vi propellere nequeant, in corde et vaſis huic vicinis ſanguinem vehentibus cumulatur. Cumulato hac cauſa ſanguine, cor et ampliores arteriæ in motus profectò crebriores cientur: ſed, quia cor nocivâ contagionis potentiâ debilitatum, ſemet in arterias majores, imprimis *aortam*, deplere nequit, arteriæ carpi exploranti medico imbecilliter et inæqualiter micant.

Animi, corpore erecto, defectus, &c.—Hoc quoque ſignum ex minuto cordis arteriarumque

renixu,

renixu, languidioreque eam ob rem ſanguinis impetu, ex toto pendet. Labantibus enim corde et arteriis, ſanguis non ſatis validè in extremas partes projectus, propria gravitate ex capite relabitur.

Extremorum frigus.—Eidem cordis arteriarumque debilitati tribuendum eſt extremorum frigus. Sanguis enim vehiculum eſt, per quod calor per corpus diffunditur; et igitur, deficiente ubivis ſanguine, ubi quoque deficit calor.

Cutis lentor.—Cutis ideo lenteſcit, quòd, ob laxitatem, vaſa extremi corporis propria fluida continere nequeant.

Anima, crebrò, imbecilliter et cum labore,—propterea reciprocatur; quòd muſculi, qui reſpirationi inſerviunt, adeo debiles ſunt, ut thoracem, naturaliter ut oportet, dilatare nequeant,

queant, eamque ob rem, pro rata, ſemet frequentiùs contrahere et relaxare cogantur. Cùm verò nihilominus ſanguis e dextro corde, per pulmones, non ſatis expeditè diffundatur; æger, thorace nec ſponte ſubinde et enixè ampliato, iter ei expeditius, quo per pulmones fluat, præbere ſuſpiratu conatur.

Cur æger in veſtibus floccos legat, fimbriaſve diducat,—a GREGORIO, medico erudito imprimis et ingenioſo, his verbis dilucidè et concinnè explicatur. "Si pars tantùm retinæ torpet, maculæ nigræ in rebus, quas ſpectamus, conſpiciuntur, et muſcæ ante oculos volitantes, ſignum in febribus frequens, ſed peſſimum, et vix non lethale *."

Viſûs pravati et duplicis—ratio haud minùs compreſſè et luculenter ab eodem auctore redditur hiſce verbis: "Cauſam tanti vitii muſ-

"culis

* Vid. *Conſpect. Medicin. Theoret.* vol. i. § 260.

" culis oculorum ſæpiſſimè ineſſe veriſimile
" eſt, qui malè conformati, vel paralyſi, rigi-
" ditate, contractione, corrupti, oculos ordi-
" natè et æqualiter regere nequeant *."

Oculi quaſi intus recedere videntur,—quia, progrediente morbo, pinguedo, quæ quaſi pulvinus eſt, cui incumbunt, aliqua ex parte reſorpta eſt. Cur *immobiles* evadant vel *languidè moveantur*, cauſa eſt debilitas muſculorum, qui eorum motui, integra valetudine, inſerviunt.

Facies longiuſcula—exiſtit, quia maxilla inferior, ob muſculos ejus perquam debilitatos, gravitate propria decidit.

Supinus—jacet æger, quia, corpore ita poſito, muſculi vi morbi jam admodum debilitati, et motûs impatientes, minùs exercentur.

F *Devorandi*

* Vid. *Conſpect. Medicin. Theoret.* vol. i. § 266.

Devorandi difficultas vel impotentia,—muſculis gulæ debilitatis perquam vel reſolutis tribuenda eſt : *fæces, inſcio ægro, dejectæ,*—debilitato vel reſoluto muſculo qui claudit anum.

Putredo, vel in eam proclivitas,—cujus ſigna ſe interdum manifeſtant, minuto ob debilitatem motu, qui putredini favet, effici videtur.

Sitis inexplebilis et acidorum cupiditas,—mirando tribuenda ſunt inſtinctui, quo, dum opus eſt, res ſalutares cupienter et inſaturabiliter quidem appetimus.

DE PROPHYLAXI.

Quò hic morbus vitetur,

Primo, providendum eſt, ne contagio generetur ;

Secundo, contagio jam generata delenda eſt ;

Tertio,

Tertio, præcavendum eſt, ne ii contagioni objecti aliquid hinc detrimenti capiant.

Providere, ne contagio generetur.—Alicui, qui, quomodo generetur contagio, animadvertat, liquidò apparebit, nullo alio modo, quò minùs generetur, obſtari poſſe, niſi præcavendo, ne humani corporis exhalatio ſtagnet et corrumpatur; et ne putreſcendo excreta animalia ſeu cadavera aëra inquinent.

Quò minùs ſtagnet et corrumpatur exhalatio humani corporis, præcavendum eſt intromittendo identidem aëra purum in loca, in quibus eſt frequens cœtus hominum; parietes et ſupellectilem ſubinde lavando; atque, ut incolæ quotidianam munditiæ rationem habeant, efficiendo.

Ne animantium ſive excreta ſive cadavera putreſcant, et aëra ambientem polluant, providere

dere magiſtratûs civilis eſt. Ubi res promercales manibus plurimorum hominum fiunt, ibi ne pervium ſit inter officinas et foricas, et ut ſub his continuò fluat aquæ rivulus, qui opificum excrementa illico ſecum ferat, providere eos, quorum intereſt, oportet.

Contagionem jam generatam delere.—Hoc variis modis efficiendum eſt. Imperandum eſt in primis a magiſtratu, ut naves, quæ a locis peſtiferis venerint, in ſtatione qualibet idonea quadraginta ferme dies vel etiam plures morentur; et interea merces, quas vehant, aëris perflatum habeant; quò contagio, ſi qua iis hucuſque latuerit, penitus diſſipetur.

Quinetiam eodem conſilio proderit *nicotianam*, carbonem, ſulphur, auripigmentum, et conſimilia quæ flammam concipiunt, inter tabulata incendere; foris interea, omnibuſque foraminibus per quæ evolent vapores, ex toto

occluſis,

occluſis. In eundem præterea finem, parietes internos radere, aqua aceto commixta lavare, vel dealbare, oportet. Ad hoc, in cubicula, ubi lectis implicati ſunt ægri, aër eſt, quantùm quotieſque poteſt, intromittendus. Veſtimenta, denique, quæ exuerint ægri, et immunda ſtragula lectis ablata, in aquam frigidam illico immergenda ſunt*.

Præcavere, ne a generata jam contagione aliquid detrimenti capiatur.—Hunc in finem, quorum eſt ægris famulari, iis vitandum eſt cauſas omnes, quæ corpus contagioni opportunum reddunt; et cibo valente, atque meraciore potu, vino imprimis aliiſque liquoribus probè fermentatis, continenter et ſobriè vivendum; conſtante interea, quàm poteſt maximè, et ſerena mente. Proſit quoque iis, dum ægris miniſtratur, acre aliquid, quale devorare nolint,

* Vid. Lind. *On Fevers*, p. 53.

lint, ſed quale ſalivam moveat, manducare *. Quin et, ut, ne abſorbeatur contagio, obſtetur, eorum manus aliæque partes quae veſtibus non teguntur, ſubinde in acetum immergenda ſunt. Oportet, demum, veſtibus ſemet crebrò exuant, et mundis corpora priùs probè lavata induant.

RATIO MEDENDI.

Si, febre invadente, medicus priùs adhibitus fuerit, quàm ea ſibi propriam ſuæ ſpeciei formam aſſumpſerit, ejus curſum quàm primùm interrumpere oportet. Hoc conſilio, cùm contagionem primùm in ventriculum invehi, indeque alias corporis partes, cerebrum potiſſimùm, nervos, vaſaque ſanguinem vehentia afficere, veriſimillimum videatur, ventriculus et inteſtina quàm primùm evacuanda ſunt.

Si

* Vid. Lind. *On preſerving the health of Seamen*, p. 111.

Si, poſt horrorem primum, et ventriculi aegritudinem, primo quoque tempore ad idonea medicamenta decurratur, raro longiùs a febre proceditur. Quæ, hunc in finem, facienda, ea hæc ſunt. Lenis vomitio primùm concitetur. Qua finita, deinde alvus ſemel iterumve medicamentis, ex iis quæ leniter reſolvunt, moveatur, vel per anum immiſſis ducatur. Ægro tum in lectum impoſito porrigatur hauſtus, qui et ſudorem moveant, et ſomnum concilient. His factis, octo ex decem ægris febris curſus interrumpetur. Verùm, ſiquando hæc parum profecerint, poſtremò *veſicatoria* iis admoveantur partibus, quæ ægro maximè doleant. Hoc facto, raro utique accidet, quin, ne febris diutius producatur, obſtatum fuerit, et in ſexdecim ex viginti exemplis febris interrupta *.

Quòd ſi medicus non priùs arceſſitus fuerit, quàm aliquandiu a febre proceſſum eſt; tum, quò hæc optatò finiatur, opus erit

primo,

* Vid. LIND. *On Fevers*, p. 67,—68.

primo, debilitati obviàm ire :
ſecundo, putredini obſiſtere : et
tertio, res quaſdam tollere, quæ, ne abſolvantur duo hæc conſilia, impediant.

CONSILIUM PRIMUM.

Debilitati obviàm eundum eſt medicamentis, ex iis qùæ corpus *roborant* et *incitant.*

Primi generis praecipua ſunt *frigus* et *Cinchonæ* cortex.

Frigus.—Hoc, ſive *interno* corpori admoveatur ſive *externo*, febrientibus multùm prodeſt.

Ægrotus multam aquam frigidam bibat; quæ ipſa, auxiliantibus nullis, febrem interdum finivit *. Eodem tempore alium quemlibet potum frigidum, vel ſaltem frigidulum, eſſe oportet.

Æger

* Vid. Jackson, p. 216.

Æger interea aëri frigido objiciendus eſt; et aqua quidem frigida, vel hac cum ſale, lavandus *: et, ſi adeo eſt debilis, ut ſine periculo moveri nequeat, panni lanei ſuccidi ex aqua frigida ejus corpori identidem admovendi ſunt. Hoc facto ægri, in ſpeciem *typho* mortui, in vitam interdum revocati ſunt †.

Cinchonæ Cortex.—Quantùm iis, quæ febribus laborant, hoc medicamentum proficiat, adeo profectò omnibus jamjam innotuit, ut de ejus virtutibus aliquid dicere non opus ſit.

Uſum hujus medicamenti differre, donec febris remiſerit, ut medicinam factitantibus olim mos erat, eſt tempus incaſſum terere, et vanos profectò timores arguit. Hujus corticis pulvis, niſi ut interdum accidit, ægri ventriculo ſit alienus, quàm maxima poteſt quantitate aſſumendus eſt. Sin ventriculo parum

 conveniat,

* Vid. JACKSON, p. 228.

† Vid. HOWARD. *On Priſons*, p. 23.

conveniat, aliquid ex eo præparatum, quod huic minùs alienum ſit, anteferendum.

Ex iis, quæ corpus *incitant*, efficaciſſima ſunt *vinum*, *opium* et *veſicatoria*.

Vinum, utpote quod ventriculo gratum ſit, præ cæteris incitantibus medicamentis, eligendum eſt. Dolorem ſæpenumerò lenit, et delirium tollit. Ab ægro, ad libitum, bibatur; neque, ne inde aliquid detrimenti capiat, providere opus eſt; quippe cùm poſſit, ſine ullo periculo, capere quantitatem multo majorem, quàm, viribus integris, poſſet *. Aquâ commixtum identidem pro potu communi adhibeatur.

Opium ad tollendum delirium multùm utique pollet; necnon ad eam conſopiendam inquietudinem ægritudinemque, unde ſiti inexplebili,

* Vid. Campbell. *On Typhus.*

plebili, dolore et pervigilio æger conficiatur*, niſi huic laboranti hoc medicamentum opportunè ſubveniat. Quin etiam, ut humeſcat cutis et molleſcat, mirum in modum efficit; atque inordinatum alvi profluvium, quo febrientes interdum admodum exhauriuntur, ſiſtit. In adhibendo opium, animadvertendum eſt medico, quali corporis habitudine ſit æger, et utrùm id antea, necne, aſſumere aſſueverit. Habita enim horum ratione, doſis, pro re natâ, conſideratè varianda.

Veſicatoria. — Hæc plerumque plurimùm proficiunt, ineunte morbo. Cùm, febre jam inveterata, arteriae celeriter et trepidè moventur, et æger ſopore obruitur; veſicatoria capiti impoſita, delirium fugando, et ut validiùs et æquabiliùs micent arteriæ efficiendo, multùm quoque profuerunt.

CONSILIUM

* Vid. Ibid. p. 80.

CONSILIUM SECUNDUM.

Putredini obviàm eundum eſt eorum medicamentorum ope, quæ, propterea quòd inſita quadam vi ſpeciali putredini obviâ pollent, *antiſeptica* a medicis appellata ſunt. Tali vi prædita naturâ ſunt *acida nativa* rerum terrâ editarum, et *fructus aceſcentes*. Si hæc parari nequeant, tum, horum vice, ad *acidum ſulphuricum*, et *aquam aëratam* utiliter decurratur.

CONSILIUM TERTIUM.

Signa, quæ obſtant, ne perficiantur duo hæc conſilia, de quibus diſſeruimus, ſunt *nauſea*, *vomitio*, *diarrhœa*, et *alvus aſtricta*. Duo prima

ma obſtant, ne medicamenta ventriculus retineat. Diarrhœa urgente, *Cinchonæ* cortex priùs corpore expellitur, quàm ſalutares effectus edat. Compreſsâ alvo, retentæ fæces, corpus univerſum irritando, ægrum inſigniter inquietant ; et quaſi fomites ſunt, unde putredo incipiat.

Contra *nauſeam* et *vomitum* parum valent medicamenta *vomitoria ;* quippe quibus adhibitis ea ſigna ingraveſcant, et æger incaſſum adhuc magis exinanitione conficiatur. Nihil ad ea ſiſtenda tantùm pollet, quàm *ammonia* et *ſuccus limonum*, in ventriculum, dum etiamnum efferveſcunt, devorata.

Diarrhœa optimè ſiſtitur quinque vel ſex guttis *opii tincturæ*, unà cum unaquaque *cinchonæ corticis* doſi aſſumptis

Alvus aſtricta quò ſolvatur, animo, quid faciamus oporteat, incerti eſſe non poſſumus ;

mus; cùm præſertim medicamenta tam numeroſa, tam efficacia, tamque tuta, ad quae confugiatur, habeamus. Ex his autem mitiora anteferenda ſunt; et profectò optimum factu videtur, alvum quotidie ſemel tamdiu ducere, quamdiu compreſſa maneat.

F I N I S.